Kuehn, Otto.

De Catharsis notione qualis constituta fuerit ab Aristotele...

Marburgi Cattorum, 1874

DE

CATHARSIS NOTIONE

QUALIS CONSTITUTA FUERIT AB ARISTOTELE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

OTTO KUEHN

GEDANENSIS

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS C. L. PFEILII.

MDCCCLXXIV.

ROBERTO HEINRICH.

Quamvis jam multae quaestiones Aristoteliae maximas moverint hominum doctissimorum discordias, nulla tamen gravior extitit controversia majoremque librorum copiam genuit quam quae de significatione decantatae illius catharsis tragicae orta est. Cujus rei causa non longe petenda est, librum enim, qui inscribitur *περὶ ποιητικῆς,* ab excerptore quodam ita decurtatum ad nos pervenisse videmus, ut gravissimae quaeque quas habuit liber integer explicationes in nostro exemplari desiderentur. Multis argumentis hoc comprobare nihil ad consilium pertinet, sed unum vel duo firmissima afferre, quae ad catharsim ipsam spectant, non ineptum erit.

Initio capitis sexti tragoedia „*παθημάτων κάθαρσιν*" praebere dicitur; sed qualis sit et quomodo efficiatur, quamvis diligentissime libellum perlegas, frustra quaesiveris, quae lacuna eo majorem habet offensionem, quod cum ceterae definitionis partes ad caput usque decimum quintum explanantur, tum Politicorum libro VIII. 1341. b. 32 verbis „*τί δὲ λέγομεν τὴν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον*" ad explicationem respicitur, quam nostro libro dare voluit Aristoteles. Alterum quoque argumentum ex capitis VI initio — „*περὶ μὲν οὖν τῆς ἐν ἑξαμέτροις μιμητικῆς καὶ περὶ κωμῳδίας ὕστερον ἐροῦμεν*" — petere placet. Quae pollicitus est scriptor de comoedia, non reperimus in nostro exemplari, ergo exciderunt.

Rem ita se habere casus coarguit, Cramerus enim ex codice Coisliniano in Anecdotis Parisiensibus nonnulla ad comoediam pertinentia eaque logicis schematis interposita profert, quae Aristoleli jam ob sermonem haud dubie tribuenda sunt. Quodsi haec conjunguntur cum iis, quae statuuntur libello nostro de comoedia, totam hujus artem conficere poterit, qui artis dramaticae indole ac ratione plane perspectis, Stagiritae regulas de omnibus artibus obiter saepe et sparsim constitutas semper ante oculos habeat. Sed hic de comoedia agere non meum est, agitur de catharsi tragica, ubi litium cardinem versari omnes sciunt qui accuratius de tragoediarum natura ac vi quaesiverunt. Jam ipsius definitionis verba „περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν“ officiunt, quominus eam ut minus propriam tragoediae praetermittamus, siquidem quod efficitur — περαίνεται — aliqua re, summum est ducendum atque finis; proinde tantum abest ut neglegatur catharsis notio, ut in hac definienda totum collocemus studium. Ne miremur igitur, de hujus vocabuli vi tot tantosque libros conscriptos esse: de summo agitur eoque difficillimo ad explicandum.

Mihi quoque, tametsi viri doctissimi magnoque ingenii acumine praediti — Bernaysii, Spengelii, Susemihlii, Reinkensii nomina commemorare satis est — de hoc verbo fuse et diligenter disseruerunt, rem denuo in cognitionem vocare propositum est, non quo quae proferam plane nova et adhuc non tentata sint — nec novissimum semper rectissimum — sed quia argumentis ex ipso Aristotele petitis justeque conjunctis quaestionem incorrupto judicio et instituisse et, quantum fieri potuit pro rei difficultate et viribus, eam absolvisse mihi videor.

Quod attinet ad libros qui de hac quaestione conscripti sunt, prorsus inutile esse putavi quam plurimis uti; sententiarum enim diversitas tanta est tantaque doctrina ad eas tuendas adhibetur ut, qui judicium incorruptum sibi servare velit, is ad extremum judicium omnino amittere periclitetur, si omnia illa volumina cognoscere sibi in animum inducat. Qua de causa paucis tantum libris iisque ita usus sum, ut partem consulerem, antequam hunc

libellum componebam, partem adirem opusculo jam certis lineis adumbrato et quodammodo perfecto; alteri enim singula controversiae momenta satis dilucide exposuerunt, quibus perspectis meam ipsius sententiam aperire possem, alteros autem, qui quidem novissimis temporibus in lucem prodierunt, hoc potissimum consilio cognovi, ut ad virorum doctissimorum arbitrium exigerem, quae ipse protuleram. Neque hoc modo rem instituisse me poenituit, immo vero laetitiam haud parvam percepi quum viderem, cum plurimis eorum in gravissima quaque re me consentire.

Jam libros, quibus usus sum, commemoro classique alteri assigno qui sequuntur:

Jacob Bernays, Grundzüge der verlorenen Abhandlung des Aristoteles über Wirkung der Tragödie. Breslau 1857. (Aus den Abhandlungen der hist.-phil. Gesellschaft in Breslau I).

Leonhard Spengel. Ueber die *κάθαρσις τῶν παθημάτων*, ein Beitrag zur Poetik des Aristoteles. München 1853.

Adolf Stahr. Aristoteles und die Wirkung der Tragödie. Berlin 1859.

F. Susemihl: Rhein. Museum. XVIII. p. 366 — 380, XIX. p. 197 — 210. Jahns Jahrbücher für Philologie 1862. LXXXV. p. 317 — 395.

Alteri classi assignantur hi libri:

Dr. Franz Susemihl „*Ἀριστοτέλους περὶ ποιητικῆς.*" Griechisch und deutsch mit sacherklärenden Anmerkungen. Leipzig 1865.

Dr. Gerhard Zillgenz. Aristoteles und das deutsche Drama. Eine gekrönte Preisschrift. Würzburg 1865.

Zeller. Die Philosophie der Griechen II. Ed. II. 2. p. 604—22.

Dr. Joseph Hubert Reinkens. Aristoteles über Kunst, besonders über Tragödie. Wien 1870.

Quod locos ex Aristotele petitos ipsi textui qui dicitur interposui, ne quid molesti habeat, nam cum iis quae praecedunt arctissime cohaerent. Sed ad rem ipsam revertor; quae quum in multis difficultatibus hareat, lectorem rogo atque oro, ut benigne de hoc libello judicet.

Ex sola tragoediae definitione — *περὶ ποιητικῆς* 1449. b 24 — 28 — catharsis significatio non apparet, nihilominus, quod saepius a nobis adhibebitur, hic eam apponi quadrat; haec est: *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δὶ ἀπαγγελίας, δὶ ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν* *). Alterum locum qui pertinet ad catharsim, Polit. VIII. 7, jam supra leviter in transitu attigimus: nunc iterum eum in memoriam reducimus, nam ita gravis est ad cognoscendam causam, ut omnes qui vocabuli illius potestatem investigaverunt, ab hoc argumenta repetierint, quippe qui non solum explicet, quemadmodum efficiat ars musica catharsim, sed etiam verbis: *„νῦν μὲν ἁπλῶς, σαφέστερον δ᾽ ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς"* principia utriusque cstharsis eadem esse nobis persuadeat; an alia causa dici potest, cur utraque componatur, quam quod Aristoteles ipse ad harum cognationem spectaverit? Spengelii quidem sententiae arbitrati inde patere, catharsim musicam ut artis vocabulum apud artifices et philosophos nondum fuisse usitatam, calculum adjicere non possum, praesertim cum in modorum quoque et rythmorum divisione Stagiriten aliorum, qui jam tractaverant rem, sententias videamus accipere **); sed hoc pro certo confirmare non dubito,

---

*) Reinkensius p. 158 ita vertit „Tragödie ist eine Nachahmung, welche durch Mitleid und Furcht die Reinigung von solchen Affecten bewirkt." Quod non probari potest, quum affectus non plane removendi, sed sollicitati ita tantum minuendi sint ut purgati remaneant. (cf. quae Susemihlius A. π. π. p. 41. 5 contra eandem Ulricii interpretationem dixit). Affectus prorsus amovendos esse non Aristotelis est sententia, et facile hoc comprobari potest ex Ethic. Nicom. lib. II. 4. 5. 6; non enim affectus ipsi per se aut vituperantur aut laudantur (1105. b. 25) sed hoc solum laudi aut vitio tribuitur, quomodo eorum impetibus occurramus, tantumque abest ut evellantur radicitus, ut affectibus indulgere jubeamur, modo medium quoddam tenere didicerimus. cf. Eth. Nicom. 1106. b. 18, 25. cf. 1109. a. 25. b. 16 — 19.

**) Pol. VIII. 1341. b. 32.

tragicam ab Aristotele demum et vocabulum et notionem accepisse definitam. Quid enim sibi vellet illud „σαφέστερον“, si nullum discrimen esset inter utramque seu omnes tragicam illico intellexissent, cum cognitam haberent musicam? peccasse igitur qui has duas numeraverint easdem, cum hoc apertum est, tum aliis gravioribusque causis infra proferendis comprobabitur.

Primum investigantibus nobis verbi usum vulgarem notionemque simplicissimam inspicienda sunt, quae leguntur apud Platonem Soph. 226. D. sq., quo loco cum de variis secernendi rationibus agatur, ei rationi quae partem meliorem separat a deteriore nomen inditur catharsi (synonyma enim ibi sunt *κάθαρσις* et *καθαρμός*): *καὶ μὴν ἔν γε ταῖς εἰρημέναις διακρίσεσι τὸ μὲν χεῖρον ἀπὸ βελτίονος ἀποχωρίζειν ἦν, τὸ δ' ὅμοιον ἀφ' ὁμοίου..— τῆς μὲν τοίνυν ὄνομα οὐκ ἔχω λεγόμενον. τῆς δὲ καταλειπούσης μὲν τὸ βέλτιον διακρίσεως, τὸ δὲ χεῖρον ἀποβαλλούσης ἔχω..— πᾶσα ἡ τοιαύτη διάκρισις . . . λέγεται παρὰ πάντων καθαρμός τις.* cf. 227 D: *καὶ μὴν καθαρμὸς ἦν τὸ λείπειν μὲν θάτερον, ἐκβάλλειν δὲ ὅσον ἂν ᾖ πού τι φλαῦρον.* Ascendens vero pro dignitate qua res singulae inter se praestant per variarum catharsium gradus ad illam pervenit, quae in animis purgandis occupata — 227. C... *συγχωρῶ δύο μὲν εἴδη καθάρσεως, ἓν δὲ τὸ περὶ τὴν ψυχὴν εἶδος εἶναι, τοῦ περὶ τὸ σῶμα χωρὶς ὄν.* 227. D: *καὶ ψυχῆς ἄρα καθ' ὅσον ἂν εὑρίσκωμεν κακίας ἀφαίρεσίν τινα καθαρμὸν αὐτὸν λέγοντες ἐν μέλει φθεγξόμεθα* — tum nobilissimo fungitur munere, cum errores animis inhaerescentes removendo doctrinae aperit viam (230. C. D.) —

Qui loci non solum, quod in praesenti requiritur, in universum catharsis naturam exponunt id efficientis ut vitiosum aliquid, sive animis sive corporibus sanis est obnoxium, tollatur, sed etiam, qua de re infra agendum est accuratius, comprobant jam apud Platonem *τέχνην καθαρτικὴν* et *παιδευτικὴν* consociatas

fuisse. Etenim ut, cum Aristotele quidem dissentiens, pro diversa philosophandi ratione virtutem scientia contineri arbitratur, ita omnia quae huic faveant virtuti ipsi conducere sibi persuasit, quare catharsim quoque scientiae obstacula tollentem cum educatione, quae virtutem ut finem sibi propositam habet, arcte conjunxit nec dubitavit, quod jam Spengelius bene monuit, virtutibus illis summis, *σωφροσύνη, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, φρόνησις,* indere nomen catharsim (Phaedon 69. B).

Sed ad quaestionem inchoatam revertamur. Lustrationem actutum missam faciamus, curationis enim potestatem vel potius purgationis, quae quod noceat valetudini non reprimendo sed eliciendo sanat, catharsi musicae subesse. Pol. VIII. 1342 a 8 *) arguitur. Catharsis vel purgatio tanquam pars subjungitur curationi, quare Spengelii verbum „*καὶ*“ post „*τυχόντας*“ delentis mutatione non opus est; ei assentirer nisi *κάθαρσιν* per se solam lectores ad artem medicinam relaturi fuissent; vocabulum vero unicuique erat compertum. Deinde vel verborum conjunctio *ἰατρείας καὶ καθάρσεως* additumque *ὥσπερ,* quod ad utrumque verbum referri oportet, obstant quominus aliud quidquam intellegamus quam corporis purgationem. Praeterea curatione usos, utpote qua morbus repellatur et ad minimum reducatur, ad quendam sanitatis statum quiete redituros esse arbitror, illud autem „*κουφίζεσθαι μεθ᾽ ἡδονῆς*“ Pol. VIII. 1342. a. 14, neminem percepturum, quin *κάθαρσιν,* purgationem adhibuerit. Comparari tantum catharsim musicam propter rei similitudinem cum purgatione, non eandem duci a philosopho, ipsius verba testimonio sunt, nam ut dixit *ὥσπερ ἰατρείας καὶ καθάρσεως,* ita in verbis „*καὶ πᾶσι γίγνεσθαί τινα κάθαρσιν καὶ κουφίζεσθαι μεθ᾽ ἡδονῆς*“ ad *κάθαρσιν* addit *τινά,* ut commonefaciat lectorem, vocabulum non proprium esse, sed aliunde duxisse originem. De qua pronomi-

---

*) *ἐκ δε τῶν ἱερῶν μελῶν ὁρῶμεν τούτους ὅταν χρήσωνται τοῖς ἐξοργιάζουσι τὴν ψυχὴν μέλεσι, καθισταμένους ὥσπερ ἰατρείας τυχόντας καὶ καθάρσεως.*

nis indefiniti potestate nemo dubitabit; satis est hic apponere Pol. VIII. 1339. b. 15: *ἥ τε γὰρ παιδιὰ χάριν ἀναπαύσεώς ἐστι. τὴν δ᾽ ἀνάπαυσιν ἀναγκαῖον ἡδεῖαν εἶναι, τῆς γὰρ διὰ τῶν πόνων λύπης ἰατρεία τίς ἐστι,* qui locus jam hac de causa aptissime commemoratur, quod ut supra catharsim musicam, nunc relaxationem musicis praebitam ad corporis aegri curationem referri videmus.

Complectamur quaecunque in catharsi medicina accidunt, primum sollicitatur, non opprimitur, quod bonae valetudini obstat; deinde adhibentur medicamenta, quae quantitate vel qualitate gravia et molesta removeant, et ita haec removentur, ut corpore in integrum restituto nos nobis ipsis esse redditos cum voluptate quadam sentiamus. Quam notionem menti imprimi necesse est, nam etiam in catharsi cum musicae tum tragoediae patere mihi videtur. Quominus vero in rebus aestheticis novae accedant leges nihil est quod impediat, immo miraremur, si non accederent, si in rebus tam diversis, ut sunt corpus et animus, omnia prorsus eadem fierent ratione. Gravissimum quod illico desideramus in purgatione momentum, hoc continetur, quod illa ad sanitatem perducit medicamentis usa qualibuscunque, dummodo morbum sollicitent et expellant, catharsim autem aestheticam nullo modo consequi possumus, nisi adhibeamus remedia morbo similia, quibus nunc nomen inditum est homoeopathicis. Cujus rei non longe petenda sunt argumenta, quum locus supra commemoratus *) hanc sententiam comprobet.

Perbene explicuit homoeopathicam corporis sanandi rationem Susemihlius (Jahns Jahrb. LXXX. 6. p. 395) hoc modo: in omnibus morbis studium inesse abjiciendi quod sanitati obstet; cui naturae studio arte adjumentum parari posse, quum medicamentis utamur, non iis quidem, quibus potissimum sollicitari possit morbus, sed quae antea ars et usus tantam habitura esse vim probaverint, quanta apta sit ad certam quandam secretionem commovendam; morbi autem materia sine modo aucta valetudini non adjumentum instrui, sed impedimentum. Quae con-

*) Pol. VIII. 1342. a. 9.

gruere cum cartharsi musica-quadrare ad tragicam infra docebitur — ex Aristotele facile intellegemus. Carminum enim catharticorum entheos tranquillantium Olympica tantum commemorat, sive quod aliis non studuerunt, quum haec satisfacerent, sive quod Olympi chori omnium maxime catharsim consecuti sunt, id est, et sollicitato et expleto furore Bacchico homines sedatos ac placatos dimittunt.

At nihil aliud efficiunt modi cathartici, quam ut affectibus perturbatos in praesenti tranquillent? noli hoc ex me ipso percontari, quum auctorem habeas graviorem Aristotelem, qui Polit lib. VIII, inde a capite quinto pluribus locis in quaerendo, num pueri musicis instruendi sint, de universae musicae emolumentis cognitionem instituit, quos locos diligenter excutere debemus, quum in hac re permultum valeant. Cap. V, 1339 a 14 haec leguntur: *οὔτε γὰρ τίνα ἔχει δύναμιν ῥάδιον περὶ αὐτῆς διελεῖν, οὔτε τίνος δεῖ χάριν μετέχειν αὐτῆς, πότερον παιδιᾶς ἕνεκα καὶ ἀναπαύσεως καθάπερ ὕπνου καὶ μέθης, ... ἢ μᾶλλον οἰητέον πρὸς ἀρετήν τι τείνειν τὴν μουσικήν, ὡς δυναμένην τὸ ἦθος ποιόν τι ποιεῖν, ... ἢ πρὸς διαγωγήν τι συμβάλλεται καὶ πρὸς φρόνησιν. Καὶ γὰρ τοῦτο τρίτον θετέον τῶν εἰρημένων.* Sed neque *παιδιὰν* neque *διαγωγὴν* pueros decere addit, alteram quod abhorreat ab educationis gravitate, alteram quod et annorum et judiciorum maturitatem quandam poscat. Relinquitur ut virtutis causa artem musicam doceantur. Quae divisio tripartita servatur V. 1339, b. 11, deleri autem videtur VII, 1341, b. 32 qui locus tritissimus multasque expertus explicationes fere hoc modo legitur: *ἐπεὶ . . . . δέ φαμεν . . . οὐ μιᾶς ἕνεκεν ὠφελείας τῇ μουσικῇ χρῆσθαι δεῖν, ἀλλὰ καὶ πλειόνων χάριν (καὶ γὰρ παιδείας ἕνεκεν καὶ καθάρσεως — τί δὲ λέγομεν τὴν κάθαρσιν νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δ᾽ ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον — τρίτον δὲ πρὸς διαγωγήν, πρὸς ἄνεσίν τε καὶ τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν) φανερὸν ὅτι χρηστέον μὲν πάσαις*

ταῖς ἁρμονίαις, οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν παιδείαν ταῖς ἠθικωτάταις, πρὸς δὲ ἀκρόασιν ἑτέρων χειρουργούντων καὶ ταῖς πρακτικαῖς καὶ ταῖς ἐνθουσιαστικαῖς. Hic demum catharsis nominatur, sed ita nominatur, ut trium utilitatum, quas praebeat musica, secundum obtineat numerum, separetur et ab educatione et ab iis, quae tertio loco conjuncta afferuntur. Ineptas igitur esse scrutationes quaerentium num quid commune inter se habeant catharsis et *παιδεία,* cum aliis qui optime de hac re meritus est Bernaysius contendere non cunctatus est, potissimum nisus hac divisione tripartita, tum consuetudinis Aristoteliae memor, quem, antequam suam ipsius sententiam ratam ac firmam declaret, saepenumero de quo quaeratur modo in hanc modo in illam partem disputantem diversaque ratione dividentem videamus. Concedo in multis aliis causis, libenter etiam in hac quaestione concederem, dummodo mihi persuadere posset Bernaysius, prioribus illis locis (1339 a 14, b 11). Aristotelem rem leviter tantum tangentem neglegentius distinxisse notiones, tertio vero loco, 1341 b 32, musicae utilitates tam accurate separasse, ut huic soli auctoritas esset tribuenda. Sed rem longe aliter se habere, a me demonstrabitur.

Omnes, quantum scio, operam summam in eo posuerunt, ut tripartitionem, quam praebent duo loci priores etiam tertio assignarent sive conjecturis usi, ut fecerunt Susemihlius et Spengelius, quorum alter interposito „*καί*“ post „*διαγωγήν*“, alter posito „*τρίτον δὲ*“ ante „*πρὸς ἄνεσιν* ita ut scriberet: 1. *καὶ γὰρ παιδείας ἕνεκα καὶ καθάρσεως,* 2. *πρὸς διαγωγήν,* 3. *τρίτον δὲ πρὸς ἄνεσίν τε καὶ πρὸς τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν* difficultatem tollere conatus est positam in conjunctione notionum numero tertio subjectarum, sive harum trium notionum collocationem ita interpretati ut putarent, verba *ἄνεσιν* et *ἀνάπαυσιν* ut species generi esse addita aut inservire explicandae notioni *διαγωγῇ.* Quod nequaquam fieri posse intellegetur, si accuratius singulorum verborum significationes inspexerimus. Conjecturas vero, quas protulerunt viri docti, accipere non possum, quia a textu

quem praebent codices optimi longius recedunt; quare nisi aliter fieri potest, Aristotelem sibi non constitisse libere confiteri quam ei subjicere malo, quae ipse scripsisse non videtur. Cum Bernaysio hac in re dissentiens, prioribus tantum duobus illis locis Aristotelem accuratam praebere partitionem, tertio eam ipsum delere aliqua de causa ex iis quae sequuntur comprobatum iri puto. Conjunctis enim unoque numero comprehensis, quae ut genera diversa minime conjungi possunt (dico *πρὸς διαγωγήν, πρὸς ἄνεσίν τε καὶ πρὸς τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν*) partitio accurata tollitur.

Jam videamus primum de vocabulo „*διαγωγή*“. Cujus duae notiones apud Aristotelem, omissa illa tritissima *διαγωγὴ βίου*, distinguuntur, altera latior, altera angustior. Priorem complexam omnia, quae non necessitatibus sed vitae jam cultiori inserviunt exornandae ideoque variis student oblectationibus, explanant loci Metaph. I, 981 b. 17, 20; 982 b. 23; cf. Pol. VII 1329 b. 27; Pol. VIII. 5; 1333 b. 22; Eth. Nicom IV, 1127 b. 33; X, 1176 b. 12. — Peculiari vero sensu *διαγωγή* illa tantum complectitur quae ut nobilissima hominibusque maxime expetenda vitam liberali otio deditam expleant, quo sensu etiam mentis divinae atque humanae vita contemplativa, quae finem in se ipsa continet beatudinemque praebet absolutam, vocabulo „*διαγωγή*“ designatur; cf. Eth Nicom X, 1177 a 23, 1178 b. 21; Metaph. VII, 1072 b. 14.

Jam quo sensu, utrum latiore an angustiore tertio illo loco Pol. VIII, 1341 b. 41 intellegenda sit *διαγωγή*, dijudicandum erit, nec difficilem fore puto cognitionem, modo excutiamus quae Aristoteles ipse Pol. libris VII et VIII nobis porrigit. Primum enim (Pol. VII 1334 a 14 *τέλος γὰρ . . . εἰρήνη μὲν πολέμου, σχολὴ δ' ἀσχολίας*) vitae negotiosae finem constituens vitam a negotiis vacuam degendam, cui addicitur philosophia (l. 23), vocem „*σχολή*“ conjunxit cum verbo „*διαγωγή*“ (l. 16 *πρὸς τὴν σχολὴν καὶ διαγωγήν*), quam verborum conjunctionem etiam duo alii loci praebent, Pol. VIII, 1338 a. 9 *ὥστε φανερὸν ὅτι δεῖ καὶ πρὸς τὴν ἐν τῇ διαγωγῇ σχολὴν μανθάνειν ἄττα*

καὶ παιδεύεσθαι et Pol. VIII, 1338 a. 21: *λείπεται τοίνυν πρὸς τὴν ἐν τῇ σχολῇ διαγωγήν.* Nec praetermittenda est enuntiationis varietas *πρὸς τὴν ἐν τῇ διαγωγῇ σχολήν* et *πρὸς τὴν ἐν τῇ σχολῇ διαγωγήν,* quippe quae indicet, quam arcte cohaereant *σχολή* et *διαγωγή.* — Deinde Pol. VIII, 1339 a. 25 (*ἢ πρὸς διαγωγήν τι συμβάλλεται καὶ φρόνησιν* sc. *ἡ μουσική*) quo loco a „*παιδιά*“ et „*ἀρετή*“ ut tertium, ad quod respicere possit musica, separatur *διαγωγή,* huic adjuncta est „*φρόνησις*“ eamque ob causam illa a puerorum educatione secluditur, quod finis ultimus nulli conveniat nisi consummato (l. 30 *οὐδενὶ γὰρ ἀτελεῖ προσήκει τέλος*). Tum etiam Pol. VIII, 1339 b. 5 ad verbum „*διαγωγήν*“ addidit vocabulum *ἐλευθέριον.* Denique postquam 1339 b. 13 iterum diserte sejunxit „*διαγωγήν*“ a verbis „*παιδιά*“ et „*παιδεία*“ (*πότερον παιδείαν ἢ παιδιὰν ἢ διαγωγήν* sc. *δύναται ἡ μουσική*) illam non solum voluptatem praestare debere dicit, verum etiam id quod pulchrum sit, quibus duabus rebus contineatur beatitudo (1339, b. 18). Quibus examinatis neminem futurum esse confido, quin concedat Pol. VIII, 1341 b. 41 verbum „*διαγωγή*“ peculiari illo sensu adhibitum esse.

Jam cum aliquis opinetur, haec tria „*διαγωγή, ἄνεσις, ἀνάπαυσις*“ collocata esse, quod iis communis sit voluptatis oblectationisque notio, non impugnem quidem hanc sententiam, attamen tamquam duo genera plane diversa ea collocata tantum, non conjuncta esse ut genus atque species ideoque nihilo minus esse deletam tripartitionem, demonstratum esse puto, cum argumentis comprobavero, verbis „*πρὸς ἄνεσίν τε καὶ πρὸς τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν*“ nihil aliud contineri, quam illam *παιδιάν,* quae ut genus diversum distinguebatur cum a „*παιδεία*“ tum a „*διαγωγή*“. Verbum quidem *παιδιά* non nominatim affertur, notionem vero ejus atque vim nominis locum occupasse nemo est quin primo obtutu cognoscat, modo inspiciat locum, qui

omni dubitatione nos exsolvit Pol. VIII, 1337, b. 35: *οὐ γὰρ δὴ παίζοντες* (sc. *δεῖ σχολάζειν.*) *τέλος γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ βίου τὴν παιδιὰν ἡμῖν. εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, καὶ μᾶλλον ἐν ταῖς ἀσχολίαις χρηστέον ταῖς παιδιαῖς (ὁ γὰρ πονῶν δεῖται τῆς ἀναπαύσεως, ἡ δὲ παιδιὰ χάριν ἀναπαύσεώς ἐστι, τὸ δ' ἀσχολεῖν συμβαίνει μετὰ πόνου καὶ συντονίας) διὰ τοῦτο δεῖ παιδιὰς εἰςάγεσθαι καιροφυλακοῦντας τὴν χρῆσιν ὡς φαρμακείας χάριν. ἄνεσις γὰς ἡ τοιαύτη κίνησις τῆς ψυχῆς καὶ διὰ τὴν ἡδονὴν ἀνάπαυσις* (cf. Pol. VIII, 1339, b. 16). Nullum igitur verbum illo loco (1341, b. 41) enuntiavit Aristoteles, quod non hic repetitum cum verbo „*παιδιά*" arctissime consociaverit. Etiam hoc praestat locus laudatus, ut non otiosos sed negotiosos egere comprobet illa „*παιδιά*", ab otiosis haec prorsus removeatur, quod novum idemque gravissimum est argumentum, *τὴν διαγωγήν,* quae ponebatur in vita a negotiis vacua transigenda, nullo modo conjungi posse cum verbo „*παιδιά*", si partitio nobis exhibeatur diligenter consummata.

Quare cum libere nobis confitendum sit, tripartitionem, licet speciem ejus prae se ferat ille locus tritissimus, revera non esse servatam si arbitremur catharsim ut plane diversum genus locum alterum occupasse juxta tria alia genera (nam, quae membrum tertium conficiunt, duo genera continere modo demonstravi), cur sibi adversatus esse videatur Aristoteles, quin caussas inquiramus, non recusare poterimus. Ansam dedisse dispositionis commutatae opinor catharsis commemorationem, quam, Spengelio hac in re adstipulato, non prorsus diversam esse a *παιδείᾳ*, sed proxime eam tangere mihi persuasum est. Nisi res ita se haberet, si ut genera ita inter se differrent *παιδεία* et *κάθαρσις* ut inter se distant *παιδιά, παιδεία, διαγωγή,* nequaquam intellegi posset cur duobus vel tribus locis (1339 a. 11, 1339 b. 11, adde 1339 a. 31, 41, b. 5) catharsim silentio praeteriret. Ac quis est qui in re dubia, cum altera ex parte se praebeant tres loci inter se

consentientes, ex altera unus qui cum illis non concinit, huic uni quam tribus illis auctoritatem tribuere malit? Consulto et cogitate Aristoteles, cum catharticos quoque modos affectus ad medium reducendo vim habere ethicam appareret eaque de causa esset periculum, ne etiam ad puerorum educationem aliquis eos commendaret, catharsim nominasse mihi videtur, ut diserte eam aetati provectiori animoque firmiori assignaret, qua de re fusius et accuratius Aristotelem pro certo arbitratum, educationem non puerili tantum aetati prospicere debere (cf. Pol. 1333 b. 4), disputantem videremus, nisi fortuna iniqua haec cum aliis multis, quae in tali libro deesse non possunt, nobis eripuisset.

Proxime vero accedere jam apud Platonem catharsim ad *παιδείαν* supra commemorabatur; idem fieri apud Aristotelem argumentis actutum proferendis comprobabitur. Neque abdita et recondita jacent dummodo hoc utamur duce atque excutiamus quod largitur Pol. VIII, 1340 a. 2. *δεῖ μὴ μόνον τῆς κοινῆς ἡδονῆς μετέχειν ἀπ' αὐτῆς, ἧς ἔχουσι πάντες αἴσθησιν .... ἀλλ' ὁρᾶν εἴ πῃ καὶ πρὸς τὸ ἦθος συντείνει καὶ πρὸς τὴν ψυχήν. τοῦτο δ' ἂν εἴη δῆλον, εἰ ποιοί τινες τὰ ἤθη γιγνόμεθα δι' αὐτῆς,* et 1340 a. 8: *ἀλλὰ μὴν ὅτι γιγνόμεθα ποιοί τινες, δῆλον διὰ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ διὰ τῶν Ὀλύμπου μελῶν. ταῦτα γὰρ ποιεῖ ὁμολογουμένως τὰς ψυχὰς ἐνθουσιαστικάς. ὁ δ' ἐνθουσιασμὸς τοῦ περὶ τὴν ψυχὴν ἤθους πάθος ἐστίν.* Priorem enuntiationis partem quae finitur post „*αὐτῆς*“ cum sequente, quae incipit a verbis „*ἀλλὰ μήν*“ arctissime conjunctam esse, nemo nisi judicii expers abnuet. Jam verba *ὅτι γιγνόμεθα ποιοί τινες* (sc. *τὰ ἤθη*) relata ad *εἰ ποιοί τινες τὰ ἤθη γιγνόμεθα*“, quae verba paene eadem sunt, hanc sententiarum conjunctionem postulant; constat igitur modos et universos — nihil aliud verba „*διὰ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων*“ significant aut significare possunt — et praecipue ab Olympo compositos vim habere ad mores. Pro nihilo habendum

est quod his opponitur a Bernaysio, verba „*ὁ δ' ἐνθουσιασμὸς τοῦ περὶ τὴν ψυχὴν ἤθους πάθος ἐστίν*“ ad affectionem tantum animi spectare, distingui oportere quod apud nos valeat vox „psychischer Character“ a potestate quae subjecta sit voci „ethischer Character“, alioquin interjectum illud „*περὶ τὴν ψυχήν*“, nisi inserviat notioni arctius circumscribendae, esse supervacaneum. Primum moneo *τὸ ἦθος,* ingenium ac mores, non utique dissimile esse animi vel *ψυχῆς,* sed contineri animo, itaque locum commode hac ratione in Latinum sermonem posse converti: „enthusiasmus impetus quidam est ingenii, quod animi ducimus partem.“

Deinde Aristotelem in quaerendo, num praeter communem voluptatem, quam vel animalia percipiant,*) ad mores artis musicae studium valeat, *τὸ ἦθος καὶ τὴν ψυχὴν* conjungentem videmus, quamquam si solum „*τὸ ἦθος*“ positum fuisset nihil desideraremus; nam quae ad ingenium atque mores vim habeant, eadem ad animum formandum conducere, testimonio confirmat locus supra commemoratus,**) tum, quod jam alius animadvertit, addendi illud „*τοῦ περὶ τὴν ψυχήν*“ ansam videlicet dederunt verba „*ἡδονὴ φυσική*“, quae per se non bene quidem intelleguntur, quandoquidem omnes modi musici commovent animum, *ψυχήν*, aptissima vero sunt in rerum contextu, cum, quod apud omnes fieri videmus, hoc naturaliter innatum esse arbitremur.

Mihi objicis Olympi modos vocem conjungere tibiis, tibias autem***) non esse ethicas, ergo patere, modos cum sacros tum omnino catharticos multum abesse a morum emendatione, quod cupide sibi sumpserunt, qui cum Bernaysio faciunt (cf. Rhein. Mus. XV, 372). Verba ei favere videntur, sed speciem tantum comprobationis habent neque nostrae ipsorum sententiae officiunt.

---

*) 1341 a. 13.

**) VIII, 1340 a. 6.

***) VIII, 1341 a. 21: *ἔτι δ' οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικόν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν. ὥστε πρὸς τοὺς τοιούτους αὐτῷ καιροὺς χρηστέον, ἐν οἷς ἡ θεωρία κάθαρσιν μᾶλλον δύναται ἢ μάθησιν.*

Recte annotavit Spengelius (Rhein. Mus. XV, 461), de eo quaestionem haberi, quibus organis canere jubendi sint pueri, quare non in universum repudiandas esse tibias, sed quoad puerorum institutionem adjuturae sint. Neque omnem vim moralem a tibiis abjudicaturus fuit Aristoteles, caute enim loco laudato bis „μᾶλλον“ adjecit. Huc addam, quod magistris non quicunque commendantur modi morales, sed quibus mores maxime corrigantur; multi superabunt minus quidem morales, attamen morales, quos quominus magna ex parte in catharticorum numerum referamus nihil est quod impediat. Non vero hic utrumque confundi intelleges, si omnia mecum diligenter examinaveris. Modi ad educationem aptissimi sunt Dorici, animos enim cum fortes reddunt tum sedando et placando eos muniunt adversus perturbationum impetus atque ita comparant, ut medium quoddam — μέσον τῶν ὑπερβολῶν — teneant; dupliciter igitur afficiunt pueros, non minus in sedationem inclinant quam in commotionem. Commotione scilicet opus est, si viriles ac fortes reddere vult artifex audientes, dummodo ne propositi immemor supra modum affectus excitet et in vitium delabatur contrarium ei, quod in se admittunt qui sedationis studiosi animis offundunt languorem. Quibus ponderatis facile mecum statues, accommodatissimos educationi esse modos, qui commotionem sedationemque aequabiliter conjunctas praebeant, sed idem mihi dato saepenumero in incerto fore, utrum potius hanc an illam efficiant, non illico abjicies, qui minus perfecti sunt Doricis. Num etiam nunc duarum rerum confusarum vituperationem subeam? Quod ad te ipsum attinet, bono animo sum. At nihil periculi mihi est ab Aristotele? Minime quidem; immo vero mihi astipulatur, nam non solum Doricos modos adhiberi vult, quamquam his potissimum uti nos jubet,*) sed etiam Lydios' molliores non improbat.

Nonnullis de hac re a Spengelio animadversis haec adjungam. Pueri nondum animo tam constanti sunt, ut perturbationum impetus sine discrimine sustentare possint, idcirco, cum ipsi pacem

*) 1342 b. 30.

sibi non conciliaturi sint, magistri hoc vidento, ut illi propugnaculis ab omni incursu tutis muniti quietem agitent. Trium igitur generum, — nam tria imitantur omnes artes: *ἤθη*, *πάθη*, *πράξεις* cf. *περὶ ποιητικῆς* I. 1457 a. 29 — ethicorum, enthusiasticorum, practicorum, pueri ante omnes utantur oportet ethico, cujus modos loci infra*) a me collocati id potissimum valere ostendunt, ut affectus non vehementer moveant sed animos quam primum tranquillatos et firmatos praestent. De tibiarum vero usu etiam hoc addendum est, quod nos verbis uti non sinunt,**) alios autem pueris cantantibus concinere vetat philosophus; quin ipsi psallant ita necesse est, ut Aristoteles modos ethicos opponens practicis et enthusiasticis dicere non dubitet 1342 a. 2 *ὅτι χρηστέον . . . πρὸς μὲν τὴν παιδείαν ταῖς ἠθικωτάταις, πρὸς δὲ ἀκρόασιν ἑτέρων χειρουργούντων καὶ ταῖς πρακτικαῖς καὶ ταῖς ἐνθουσιαστικαῖς*, quibuscum comparari quae leguntur 1340, b. 36: *διὰ τοῦτο χρὴ νέους μὲν ὄντας χρῆσθαι τοῖς ἔργοις, πρεσβυτέρους δὲ γενομένους τῶν μὲν ἔργων ἀφεῖσθαι, δύνασθαι δὲ τὰ καλὰ κρίνειν ὀρθῶς διὰ τὴν μάθησιν γενομένην ἐν τῇ νεότητι*, lectori haudquaquam ingratum fore arbitror.

Ut tota haec quaestio, num catharsis musica mores corrigat, conficiatur, ad extremum moneo te animum advertas ad verborum congruentiam, quam etiam rerum congruentiam sequi necesse est. Quid intendunt modi cathartici? *τὸ καθίστασθαι*, 1342 a. 10. Quid vero efficiunt ethici? *τὸ καθεστηκότως ἔχειν* 1340 b. 3. Viae quidem, quas aetate et viribus impares ingrediuntur, ne eaedem sint, tamen ad eundem finem perducent vel perducere poterunt. Jam quod attinet ad conjunctionem modorum catharticorum et patheticorum, qui hanc artis musicae rationem diligentius perquisiverit, tripartito divisis quae debeat ars imitari, *ἤθη*

*) VIII, 1340 b. 3. — 1340 b. 9. — 1341 a. 18. — 1342 a. 28. — 1342 b. 12.

**) 1341 a. 24.

πράξεις πάθη, ut tertios modis practicis et ethicis enthusiasticos, non patheticos adjungi videbit. Quod consulto et cogitate factum esse credo; indicare enim voluit Aristoteles eadem, quae in enthusiasticis vel orgiasticis experiamur, in omnibus evenire modis patheticis. Testimonio est ille locus 1342 a. 15, qui magnam hominum doctissimorum controversiam movit de vocabuli *ὁμοίως* potestate. Quid Bernaysii et Susemihlii explicationes sibi velint contendentium, praeter musicos modos cetera catharsis subsidia significari, intellegere non possum; ipsi de his ceteris subsidiis tacent. Sed habeant tale aliquid, Aristoteles cui obtempero nusquam de iis cogitat. Aenigma, quod ipsi fecerunt, solvi arbitror, si locum ex ipsa re additis, quae illustrare, omissis, quae obscurare possint enuntiatum, hac fere ratione vertimus: „quicunque modis utuntur sacris vel enthusiasticis, restituuntur et placantur, tanquam si adhibuerint curationem atque purgationem; idem — quoniam ecstasis natura omnibus subest animi affectibus — haud dubie iis accidet, qui ceteris perturbationibus imprimis metui misericordiaeque subjecti sunt, afficientur purgatione quadam et levatione, quam arctissime semper conjunctam esse cum voluptate sacris comprobatur choris. Simili igitur ratione, si recte se habet quod dixi, in omnibus modis catharticis fieri necesse est, quod sacros efficere usus docet; et revera fiunt, percipimus enim ex illis voluptatem non damnosam. Qua de causa in theatris hos fere adhibere placebit.“ Quae conversio ne reprehendatur; conjngantur modo *ὁμοίως δὲ καὶ παρέχει* cum vique pronuncietur *τὸ „παρέχει“*, Latine hoc modo: „atque ita praebent videlicet voluptatem, quam praebere debent propter communem modorum naturam,“ res vixdum in incerto esse poterit. —

Non possum hic non annotare nonnulla de modis practicis. Ut ceteri *τὸ παθητικὸν* movent, sed hoc ab iis differunt, quod pathetici vel potius enthusiastici perturbationes animi non tam sollicitant quam sollicitatas arte placant, practici id solum studere videntur, ut quam maxime excitentur affectus. Quare talium artifices in hoc acquiescant, nam actionibus ipsis, quas modi practici adjuturi sunt, expleti animorum motus ad tranquillitatem re-

vocabuntur. Susemihlius et Stahrius peccaverunt in modis distinguendis, quorum alter practicos quoque in catharticorum numerum reponit, alter („Aristoteles und die Wirkung der Tragödie“ p. 22) utrumque plane confundit. Sententiam meam, affectus — ita enim perspicuitatis causa Graecorum πάθη verto — arte coercitos moribus vel virtuti conducere, adhuc confirmavi rationibus ex uno loco petitis, sexcenta vero afferri possent argumenta, si omnes libros erueremus. Quem laborem alii suscipiant, mihi sufficiunt, quae proxime*) inveniuntur.

Haec hactenus de catharsi musica; jam accedo ad alteram quaestionis partem, quae cognitionem de tragicae catharsis natura a me institutam lectoribus proponet. Impedietur quidem aliquantulum justus disserendi ordo, cum singula rei momenta modo separata modo conjuncta perpendenda sint, tamen quoad ejus facere possum is conservabitur.

Primum est disceptandum inter eos, qui lustrationis et eos qui purgationis notionem, qualis in arte medicina appareat, catharsi tragicae subesse contendunt. Jure Bernaysius, qui tuetur purgationem, admonuit solummodo a Politicorum loco laudato 1342. a. 11 sq., qui audiri velint, sententias ducere debere; at ipse quid fecit? praeceptum observare quidem videtur, reapse non observat, neque inde magis ducit quam admiscet quibus opinionem fulciat. Purgatio et catharsis idem apud eum valent; non vidit momentum illud homoeopathicum ut novum aliquid accedere in musica vel potius aesthetica catharsi, nondum reperiri in corporis curatione. Cujus peccati sibi conscius si cognovisset, corporibus et musicis non eosdem fines constitui ab Aristotele, etiam tragoediam non iisdem coercuisset terminis, quibus musicam artem falso circumscripsit Quibus redarguuntur quae legimus apud eum p. 141 „philosophum tragicam catharsim per omnes partes eadem notione consignare voluisse, quam habuerit illud medicinae artis vocabulum.“ Frustra vero in suam rem convertit illud Goethii illustrissimi: „neque musicam neque ullam aliam artem moribus inservire posse;“ altera enim placiti parte refutata ex ipso Aristotele, alteram

*) Pol. VII, 1333 a. 16. — VII, 1347 b. 17.

quoque, certe ad philosophum nostrum, nihil habere momenti conspicuum est. Lustrationem autem sumpserunt, qui obliti, in corporis purgatione lineas tantum communes demonstrari Aristotelemque in definienda catharsi musica non minus ad tragicam spectasse quam ad actionem corporalem, aliam hujus vocabuli significationem circumspexerunt. Sed non recte faciunt; primum quod, etiamsi lustratio iis placet, aeque ac nos duas res habent inter se comparatas, ex quibus demum eliciendum est aequum; deinde quia propria cum iis quae comparantur confundere facile periclitantur. Mihi sufficit, quae apparere cognovi in curatione homoeopathica — verbum „homoeopathica“ adjungi necesse est, ut recta fiat collatio — reperiri in eo, quod ad illam refertur. Quodsi quis arbitratus plus valere musica tragoediam, hujus autem vim non satis dilucide exponi posse comparatione catharsis corporalis, utpote quae versetur in tam diversa re, hanc ob causam accipit lustrationem, eum non nimis reprehendemus, sin nihil aliud exhibet, quam quod etiam catharsim corporalem, cum comparationi inserviat, praestare videmus, operam perdidit. Qua vituperatione etiam Susemihlium non exsolvi posse puto; Bernaysium quidem notat, quod curationem et catharsim tragicam easdem duxerit — neque difficile erat comprobare, curationem propriam non nisi ad corporis aut animi morbo laborantes adhiberi posse — ipse in idem vitium incidit. Aristotelem secutus collocat catharsim musicam et tragicam, sed idem pro certo confirmat, tragoedias perinde ac modos catharticos hactenus dumtaxat valere, ut in praesenti efficaces sint, aut, si quid in posterum valeant, non continuo ad ipsam virtutem tendere, sed ad mediocritatem quandam affectionum, Aristotelis *μετριοπάθειαν*. Neque hoc ei concedo, musicam tamdiu tantum nos afficere, quamdiu exerceatur, nihil remanere in reliquum tempus. Ne singuli quidem soni, simulatque eos percepimus, illico delentur, harmoniae vero et rhythmi, in quibus similitudo maxima inest cum ira, lenitate, fortitudine ceterisque affectionibus *), pro cujusque indole et aurium judicio animum diutius obtinebunt et affec-

*) 1340. a. 18.

tionem quandam servare cogent. Nisi ita res se haberet neque semper aliquid restaret, Aristoteles haudquaquam pueros musicam tractare jussisset.

Potissimum quae modo dixi pertinent ad modos catharticos atque ethicos. Nec nostrorum quoque modulorum ratio, quantum equidem judicare possum, dissimilis est; saltatoriorum enim et in itinere adhibitorum memoria, quorum utrosque in practicos referri oportet, facile ex animo ejicitur, ii vero, qui ethicum vel morale aliquid continent ideoque cum oratione fere conjunguntur, etiam verbis obliteratis ita in animo haerent, ut vel inscii voce summissa eos saepe canamus. Magnam exemplorum copiam in quaestione hoc libello instituenda proferre non conveniat, unum tamen idque recentioris temporis hic laudari unusquisque libenter excusabit; carmen dico quod inscribitur „die Wacht am Rhein.“ Difficile quidem sit singulis argumentis demonstrare, quam incredibilem vim illud carmen habuerit novissimo bello Germanico, sed revera habuisse nemo est quin concedat, modo memor sit, quoties et quo enthusiasmo ipse carmen cecinerit. Quae aetas, qui ordo, quod genus vel remotissimis Germaniae locis fuit, quae per annorum spatium illius carminis potestas non usque detinuerit? Ne iniquitatis crimen in me quis conferat imprimis in Germanicis carminibus talem vim ethicam inesse contendentem, hoc tantum eum commonefacio, Francogallos vel vocabulum „le lied“ e nostro sermone usurpasse, quippe qui vocem rem exacte circumscribentem non haberent.

Tantam igitur vim praebent carmina ethica, at tragoedia, quae non vagis utitur sonis, sed verbis notiones suas quasi reposcentibus ab auditore, non sensum sed rationem detinet, tum fabulam ita instruit ut in res ipsas rapiamur, denique hoc utique agit, ne quidquam fiat cum in rerum compositione tum in morum descriptione, quin sit necessarium aut verisimile —, tragoedia, inquam, quae tam diversis iisque gravissimis utitur adjumentis, nihilo plus valeat illis carminibus? Jam rhythmi animos movent quidem aut tranquillant, fortiores aut leniores reddunt, harmoniae laetos aut maestos, proclives ad secessum aut congressus cupidos nos esse jubent, utraque conjuncta quoquoversus leniter flectendo

nos deducent; sed ad animos vehementissime excitandos et concutiendos ita ut ultra usitatam sentiendi cogitandique et agendi rationem evagemur atque ipsis nos quasi ereptos sentiamus, musica non sufficit. Itaque, qui tale aliquid arbitratur, pariter agit ac si acu et gladio vulnera aeque gravia infligere velit. Proinde inquirentibus nobis in catharsis naturam tragicae rectissimum erit cognoscere et qualis sit universae artis natura, in qua versatur tragoedia, et qualia sint instrumenta, quibus utatur tragoedia. Qua in quaestione plurimum pollebit Aristotelis arbitrium.

Artem ejusque opera minime respicere ad eos, qui his fruantur, imminui artis dignitatem, si qui tale aliquid postulent aut vel eo procedant ut eam moribus emendandis conducere debere arbitrentur, permulti nostris temporibus existimaverunt. Nec consilium quidem vituperaverim, artem enim ad se solam relatam liberiorem nobilioremque fore putant. Cui opinioni contrarium est decretum eorum, qui hoc unum poesi tribuunt, ut continuo ad virtutem nos revocet, et ita etiam tragoediae virtutem solam proponunt sequendam· Quibuscum facere non possum neque vero in alteras partes transire mihi placet, praesertim cum, quod in hac tota quaestione fieri oportet, Aristotelem consulam. Unum tantum locum affero *περὶ ποιητικῆς* 6. 1450. b. 37, quo de pulchro — *τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστί* — et de tragoediae longitudine disseritur. Examina, quaeso verba *μεγέθει, τάξει, θεωρία, ἀναισθήτου χρόνου, τοῖς θεωροῦσι, εὐσύνοπτον, μέχρι τοῦ σύνδηλος εἶναι, εὐμνημόνευτον*; non dubitari potest, quin potissimum ad spectatorum judicium respiciatur. Omnino non intellego, cur tot viri docti tanta pertinacia pugnent atque enitantur, ne artis opera ullo modo ad spectatorem referantur.

Contra Zillgenzium, quem in horum numero esse video, primum moneo, quae caute addantur interclusa *), magna ex parte diluere ejus sententiam ante interpositionem pronuntiatam; tum

---

*) p. 88.

minime dubitio contendere, artis operum primum et quo minime carere possit artificium spectatorem esse artificem vel poetam ipsum *). Nam artificii ideam mente conceptam forma non ita induunt, ut quasi uno stili vel sculpri ductu absolutam eam in conspectum producant, sed ab idea, quae fingendi fons est, continuo ad artificium ipsum se convertunt spectatoresque ipsi fiunt atque, quantulumcunque in opere exarando progressi sunt, identidem ab ipso artificio recedunt id contemplaturi, tamquam alius sit opus, contemplantesque demum sentiunt, num id, quod exprimere voluerint, revera sit expressum. Rationes ideas ita in lucem producendi plane easdem esse, sive statuam sive picturam sive poema dramaticum artis studiosi oculis subjicere volunt, nemo negabit. Hoc quoque lectorem spectare velim, jam in Aristophanis comoediis chorum condicionis suae plane oblitum saepius per chori ducem spectatores alloqui in parabasibus, quod quamvis vituperandum sit, tamen in hac quaestione aliquid momenti habere mihi videtur.

Quibus de causis mihi persuasum est, in unoquoque artificio ad spectatores respiciendum esse omnibus artificibus; verumtamen non virtutem ipsam finem constituo, unde tragoedia atque omnino ars — etenim communis natura singulis artibus subest — praecepta accipiant. Ergo illis alteris assentiris? minime; neutris accedo nec eo minus sententiam meam non improbatum iri spero. Non enim ad ultimam perfectissimamque virtutis formam ac speciem in tragoedia omnia redigenda esse arbitror; nam hac condicione non homines sed deos spectandos nobis praeberet poeta, non allevaret sed comprimeret nos conscientia vitiorum, quin efficeret ut intuiti illa virtutis exemplaria omni salutis spe abjecta eo magis ex hominum natura vitiis indulgeremus. Num hoc illi adipisci voluerunt? ipsi respondeant. Sed quid tum? hominesne sceleratos atque in summa miseria versantes poeta in scenam producet adhortaturus nos, ne tale quid committamus? nullo pacto. Rectam viam iniit ex omnibus unus, cujus auctoritati poetas obedire necesse est, Aristoteles. Hunc sequamur, ad

*) Conferantur dilucida Reinkensii verba p. 232.

hujus praecepta, quae Lessingius ut Euclidis elementa certa esse contendit, tragoediam componamus, hominum naturam arte ita emendatam, ut eam assequi possimus, in scena repraesentemus; per se ipsum efficietur, quod illi virtutis studiosi in contrarium vertere periclitantur, morum emendatio, virtutis adjumentum. Tantum abest, ut in ipsorum sententiam me adducant, ut existimem numquam quo intendant eos perventuros esse, nisi rationem divino philosophi ingenio nobis monstratam insistant. Nullam equidem artem arbitror virtutem finem sibi proponere, attamen rectis praeceptis usam facere non posse, quin mores corrigat eorum qui ejus operibus fruantur *). Dixerint igitur, tragoediam metum misericordiamque movere; nihil aliud postulo, dummodo sollicitentur, qua ratione ea excitari vult Stagirites *περὶ ποιητικῆς* capp. XIII. XIV, catharsis morumque correctio sua sponte inde sequentur **).

Tragoedia nos docet, qua lege misericordia et metus ad mediocritatem, — (*μετριοπάθειαν*, cf. Eth. Nicom. 1176 a. 17 *ἑκάστου μέτρον ἡ ἀρετή*) — quae apud Aristotelem maximi est ponderis, perduci possint; docere enim proprium est universae artis vel imitationis artificiosae idemque dulcissimum.***) Verum non illico ex homine improbo bonus fiet; hoc qui philosopho tribuunt, obliviscuntur, neque omnes affectus, sed misericordiam tantum et metum purganda esse, neque in omne tempus — *οἱ δ᾽ ἄλλοι* (opp. *τοῖς φιλοσόφοις*) *ἐπὶ βραχὺ κοινωνοῦσιν αὐτοῦ* (sc. *τοῦ μανθάνειν*) *Π. π.* 1448 b. 13 — efficaces fore impulsus, quibus commoverit in praesenti ars audientium animos. Lessingio igitur, cui in hac re summa laus habenda est, utpote qui et notionem *τοῦ φόβου* denuo constituerit et metum commiserationemque inter se referri, alterum alteram sequi oportere declaraverit, assentior dicenti, tragoediam cui interfuerimus non totam virtutem sed partem aliquam, quoad medium quoddam

*) cf. Reinkens. p. 195.

**) cf. Zeller p. 617 sq. Stahr p. 57. Spengel p. 47.

***) *Περὶ ποιητικῆς* 1448 b. 13.

misericordiae et metus consequi doceamur, nobis dedituram esse. Quodsi quis, ut ab harum perturbationum impetibus tutiores simus, pluribus tragoediis nos interesse velit, non repugno; perinde enim agit ac si quis civitatem legibus devincturus non acquiescat in legum constitutione, sed iterum atque saepius eas in memoriam revocet. Quam libenter ab officiis recedamus immemores consiliorum bonorum pro hominum natura, quis est quin concedat, sed hanc ob causam a legibus tragoediisque abjudicare vim moralem, nonne hoc penitus perversum est?

Lessingii judicium cum in aliis rebus tum in hac quaestione plurimi equidem aestimo; Susemihlius autem reprehendit criticum praeclarissimum. Num jure? haudquaquam, nam verbis ejus (Jahn's Jahrb. f. Ph 85, 86 p. 419) „richtige Mitte tugendhafter Fertigkeiten“, quae verba Lessingii ducere enuntiatio nos cogit, examinatis nihil relinquitur, quam ut hunc non bene intellexisse videatur. Lessingii verbum breve et concisum „Verwandlung der Leidenschaften in tugendhafte Fertigkeiten“, si totam actionem ante oculos poni oporteret, longiore cognitione enodandum esset, sententia vero apparet. Etenim ut comparatione adhibita, quominus dicam „morbus se vertit in sanitatem“, nihil me impedit, quamquam proprie dicere debebam „remotis curatione, quae corpori nocebant, pro corpore antea aegroto accepi restitutum et sanum“, ita etiam Lessingius in sententia pronuntianda pari brevitate usus est. Non vero sibi constitit Susemihlius neque sibi constare potuit vir doctus pro judicio subtili in tot difficilibusque quaestionibus comprobato, itaque jam p. 422 rectam viam repetit et animi affectionibus, ad quas solas tragoediam vim habere contenderat, neglectis omnia ad cogitationem intellegentiamque refert.

Platonici recentiores, quos libri περὶ ποιητικῆς exemplar habuisse integrius Bernaysius (p. 158 et in annotatione XI, p. 161, 162) argumentis gravibus comprobavit, in hac controversia saepe laudantur. Videamus igitur num quid nostram sententiam adjuvent. Jamblichus*) phallorum sacra ita contra Porphyrium defendit, ut qua ratione in tragoedia et comoedia affectus, si modice excitentur,

*) De mysteriis liber ed. Thomas Galo Oxonii 1687 fol. p. 22.

satiati et purgati non per vim sed persuasionem conquiescant, eadem etiam in sacris phallicis libidines expleri opinetur, omnesque talibus vel spectaculis vel carminibus usos effugituros esse noxam ex operibus ipsis fluentem.

Jam si diligentius excutimus locum, cum opponantur verba *θεάμασι καὶ ἀκούσμασι* verbis *τῆς ἐπὶ τῶν ἔργων ἀπ' αὐτῶν συμπιπτούσης βλάβης,* non ad praesens tempus cum in phallicis imaginibus tum in comoediis tragoediisque laudandis spectatur; valde enim claudicaret comparatio vel vixdum comparatio esset, nisi quod in comparato summi est momenti reperiretur in proprio, efficacia diuturna in hoc Jamblichi exemplo. Porro formae activae *ἵσταμεν, ἀπεργαζόμεθα, ἀποκαθαίρομεν,* quamquam hoc minoris ponderis est, indicare mihi videntur, non sensuum commotione atque placatione spectatores inscios, sed fabularum simplici et absoluta necessitudine compositarum contemplatione cogitantes a se ipsis ad affectuum mediocritatem perduci.

Pluris aestimandi sunt loci quos Procli commentarii vel potius dissertationes ad Platonis Rempublicam conscriptae (cf. edit. Basil 1534, p. 360—367) praebent, unde primum apparet, Aristotelem eosque qui eum secuti sunt tragoediae vim tribuisse diuturnam, tum putasse, affectus modice expletos ad educationem (*παιδείαν*) seu, quod idem est, ad mores formandos emendandosque multum valere. Huc accedit, quod Procli verba virtutem ipsam tragoediis et comoediis capessendam significant. Proclus a Platone stat Aristotelemque reprehendit, optimo quidem jure nisi nescio an consilio immiscuisset, quod non levi momento in hac re aestimandum est; ita enim loquitur, tamquam idem sit affectus commovere et immodice eos excitare. Commisisset Aristoteles quae ei subjiciuntur a Proclo, in hujus partes statim transirem concederemque effici *ἕξιν πονηράν,* non vero *ἀγαθήν.* „At Proclo supponis aliquid! nam verba *ἕξιν ἀγαθὴν* apud eum non lego.“ Non negare quidem possum haec verba deesse, nonne vero sententia antithesi *„ἀντὶ τῆς μετρίας ἀφιώσεως ἕξιν πονηράν“* continetur? Denique quod *τῷ „ἕξιν ἀγαθήν“* virtutis notio-

nem constitui, nihil offensionis habebit ei qui Aristotelis legerit Eth. Nicom.*) Jam quis argumentis gravissimis, quae infra contuli, examinatis tragoediae vim moralem detrahere posset?

At Bernaysius his opponit, Platonicos recentiores de morum emendatione, quam tragoedia praestet, tacuisse. Eos tacuisse libenter concedo, cum ipso silentio sententiae quam protuli faveant; etenim non tam ad finem, morum emendationem, spectare debebant, qui ob emolumentorum magnitudinem etiam ad minus nobilia descendere poterat adjumenta, quam ad adjumenta ipsa, quibus nunquam quo intenderetur perveniri posse pro explorato habebant, quoniam proposito contrarium, pro tranquillitate gignerent concitationem. Senecam quoque**) testem contra se produxit Bernaysius, nam etiam si omnia detorquendi studio duceremur, nihil aliud ex ejus verbis eliceremus quam hoc, affectus inservire virtuti.***)

Nunquam bonum a pulchro in operibus arte confectis separari poterit; licet enim forma pulcherrima, unumquidque ad artis doctrinam accuratissime confictum sit, nunquam artificium nobis satisfaciet nisi unâ contineat forma, quibus delectetur mens. Quid enim proderit sitienti vas formosissimum, quod potum quo reficiantur vires non praebeat? Idem judicasse Aristotelem facile intelleges cum cognoveris, quemadmodum cum Platone plane dissentiens artis notionem definierit. In imitatione uterque quidem artis vim et naturam posuit, sed alter (De Rep. X) propter hoc ipsum eam minimi aestimat, quippe quae res a natura datas imitata longius recedat a specie, non exemplar aeternum sed

*) II, 1105 b. 19: *μετὰ δὲ ταῦτα τί ἐστιν ἡ ἀρετὴ σκεπτέον. ἐπεὶ οὖν τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενα τρία ἐστί, πάθη, δυνάμεις, ἕξεις, τούτων ἄν τι εἴη ἡ ἀρετή.* 26: *λέγω δὲ . . . ἕξεις, καθ᾽ ἃς πρὸς τὰ πάθη ἔχομεν εὖ ἢ κακῶς, οἷον πρὸς τὸ ὀργισθῆναι, εἰ μὲν σφοδρῶς ἢ ἀνειμένως, κακῶς ἔχομεν, εἰ δὲ μέσως, εὖ. ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς τἆλλα.*

1106 a 11: *εἰ οὖν μήτε πάθη εἰσὶν αἱ ἀρεταὶ μήτε δυνάμεις, λείπεται ἕξεις αὐτὰς εἶναι.*

**) de ira I, 17.

***) cf. Reinkens. p. 228.

imagines tantum imaginum exprimat; alter contrariam opinionem secutus imitationi hanc potestatem tribuit, ut non res veras, quas natura saepe imperfectas et vitiosas reliquerit, ante oculos ponat, sed vitiis emendatis eas ad exemplum sola cogitatione et mente formandum revocet, non discedat sed propius accedat ad archetypum. Quo pacto non ars naturam sed potius natura artem imitari, non quod natura sed quod arte efficitur verius esse videatur.

Imitationis vox etiam Reinkensium induxit,*) ut artem, quatenus nunquam aliquid novi ex nihilo creare, a rebus ipsis, in quibus versamur, non discedere valeat, arctius justo circumscripserit. Creandi quidem potestatem ita ut ex nihilo aliquid fiat, arti poeticae nemo conciliare poterit, sed ubinam, quaeso, sive ad naturam sive ad animum respicimus tale aliquid fit? Ab hominum condicione plane recedere deique ipsius partes suscipere juberemur, si illam potestatem nostram esse vellemus. Nonne hoc satis est, ingenio plane divino res natura et mente nobis objectas ita componere ut omni ex parte rationem elucere videamus?

Ars prout Aristotelis praecepta unice laudanda observat, quaecunque casu exstant singularia abjicit et necessitatem secuta in singulis artificiis ea tantum exprimit, quae universi generis communia sunt;**) proinde in poesi omnia, res, mores verba ex necessitate componenda sunt. Quadrat huc illud Sophoclis verbum, 1460 b. 30 *αὐτὸς μὲν ἔφη οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσίν,* quo verbo Euripidi res, quales a natura sint datae, imitato se ipsum opponit utpote qui homines fingat non a corpore quidem prorsus avocatos sed tamen boni viri notioni proximos. Multa naturam reliquisse dixi imperfecta et vitiosa, itaque qui eam corrigere quaerit, meliora***) nobis porrigere debebit quam natura ipsa offert, neque enim Phidias — Cic. orat. 2 —, cum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pul-

*) p. 13.

**) Poet. IX, 1451 b. 8. — 1451 a. 38. — 1452 a. 20; 1454 a. 35.

***) 1454 b. 10. — cf. 1461 b. 13.

chritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manus dirigebat. Mente ars poetica utitur duce, rerum species perspicit perspectasque nobis tradit condendas in uniuscujusque pectore; attamen tali aliqua ante oculos proposita, simul ac verbum extremum conticuit, sensus animosque quasi claudemus, quid dico claudemus, imo potius expellemus vi, quae in iis jam penitus inhaerescunt? Quis est qui hoc contendere audeat vel, si contendat, comprobare possit argumentis? Certare vult. Habeto controversiam, sed non mecum, cum Aristotele ipso, qui non satis habet pro morum bonitate aut pravitate dividere inter tragoediam et comoediam, sed in universa vel in saltandi arte imitatrice — 1448 a. 10 — hanc divisionem postulat. De tragoedia vero hoc libello imprimis respicienda num aliquid dubii relinquetur ei qui locos rem explanantes ita a me collocatos*) acceperit ut uno conspectu eos perlustrare possit?

Haec de tragoedia dicta sunt quatenus in universum ad artis rationem referenda est; jam ad instrumenta transeo quibus et qua ratione iis utatur tragoedia. Primum meminerimus mirae cognationis, quam misericordia et metus inter se habent. Alterius definitionem reperimus Rhet II.. 8. 1385. b. 14 *ἔστω δὴ ἔλεος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ ἢ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειεν ἂν παθεῖν ἢ τῶν αὑτοῦ τινά, καὶ τοῦτο ὅταν πλησίον φαίνηται.* alterius Rhet. II. 5. 1382 a. 21 *ἔστω δὴ φόβος λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ φθαρτικοῦ ἢ λυπηροῦ* **). Docemur igitur his locis illud tantum nos miserere quod ne nobis ipsis accidat metuamus, metuere autem quod, si aliis eveniat, miserationem commoveat. Quae teneamus oportet, quia conjuncta cum supra constitutis et infra ad Aristotelis fidem constituendis catharsis tragicae notionem explicatura esse mihi videantur.

*) 2, 1448 a. 16. — 4, 1448 b. 25. — cf. 1449 a. 3; b. 10. — 6. 1449 b. 24. — 9. 1451 b. 6. — 1453 a. 9. — 13, 1453 17. — 15, 1454 a. 16. — 15, 1454 b. 8.

**) Addantur Rhet. II. 8. 1386 a. 27 et II. 5. 1382.

Sed priusquam de ratione qua commoveantur misericordia metusque disseram, de metus natura pauca mihi dicenda sunt. Quamvis enim Aristotelis verba vix quidquam dubii relinquant, tamen inter alios etiam Zillgenzius contendit, spectatorem non sibi sed fabulae personis metuere. Sed quae argumenta Geyerum *) secutus profert p. 86, haec omnia contra eum pugnant. Primum objiciendum est, ad omnes, sive aequo plus sive minus metuere solent, artis musicae vim pertinere, enthusiasmumque, qui animum jam perturbatum prodit, priusquam sedetur in majus etiam augeri modis qui dicuntur exorgiasticis. Tum ob hanc ipsam causam tragoedia homines fortuna atque honore praestantes in scenam produci jubet, ut nobis persuadeat, quoniam tanto inferiores simus, nobis quoque ipsis accidere posse gravissimas calamitates; extra hominum autem condicionem communem ita tantum illos prodire sinit, ut similitudine humana servata (Poet. 1453. a. 5 *φόβος δὲ περὶ τὸν ὅμοιον*) in ipsorum miseriarum quasi circulum nos abripere valeant. Nec si qui jam natura ad metum propensiores sint, horum affectus tragoediis non nisi corroborari concedendum est, imo vero respicientes delictum, unde miseria non fluere possit sed fluat necessario, calamitatibus hominem prorsus vacuum culpa nunquam opprimi cogentur intellegere metuique hac ratione moderabuntur. Etiam hoc magni momenti est, quod ipsa rerum compositione, non apparatu scenico — 1453 b. 7 *τὸ δὲ διὰ τῆς ὄψεως τοῦτο παρασκευάζειν ἀτεχνότερον*, et: *δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν οὕτω ἱστάναι τὸν μῦθον, ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γινόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων* — affectus movendi sunt, non casu sed cum necessitate omnia fiunt; quod qui agnoverint cum timidi tum securi in vitae condicionibus modum affectibus constituere docebuntur. Denique Zillgenzium in illum errorem solum hoc induxisse puto, quod Goethium secutus artificium spectatoris rationem non habere posse sibi persuasit; qua de re jam supra fusius dictum est.

*) Philipp Joseph Geyer. Studien über tragische Kunst II. Leipzig 1861.

Misericordiam igitur et metum commovento tragoediae: quolibet modo? minime, sed ita ut perturbationum catharsis conficiatur, quemadmodum etiam musicae carmina cathartica modice tantum explere vidimus affectus; etenim si quam maxime concitarentur affectuum impetus, quod falso Aristoteli vitio verterunt Platonici *), numquam placari possent, placatione vero opus esse jam verbum *καθίστασθαι* catharsis proprium ostendit. Qua in causa arbitri partes iterum suscipiet Aristoteles ipse, nam quae a Jamblicho contra Porphyrium ad imagines vel carmina phallica tuenda dicuntur **), omnia ex illius libris fluxisse, nemo est quin libenter cum Bernaysio concedat. Etiam quae Proclus Platoni artem dramaticam improbanti injuria opponi contendit ***), sine dubio ipsius Stagiritae sententiam produnt. Quam modice tantum commovendarum perturbationum rationem si iniisset atque servasset Euripides, non laudi philosophus addidisset vituperationem †). Sententiarum enim contextus „fabulas quae habeant exitum infelicem esse optimas, ceteras magis proprias comoediae, propterea Euripidem non vituperandum sed potius poetam maxime tragicum ducendum esse," contextus, inquam, docere mihi videtur, hanc ob causam eum laude affici, quod summam miseriam repraesentando quam maxime fieri possit commoveat misericordiam ac metum, praesertim cum ejus tragoediae agantur ab histrionibus (cf. 1450. b. 16 *ἡ δὲ ὄψις ψυχαγωγικόν*); quod vero idem Euripides animos tantopere concitatos sedare atque placare minus intendat, hoc ansam dedisse existimo vituperationis adjectae.

Bernaysium judicandi sollertia non munivit ab errore, qualem etiam in alia quaestionis parte admisit; in similium enim comparatione non id solum promit propter quod collocantur res, sed etiam quae in rebus collocatis non communia sunt in eandem quasi rationem cogit; quo errore ductus — p. 141 — quia musi-

*) cf. Proclum p. 362.

**) p. 22 Gale.

***) p. 362.

†) 1453 a. 27.

cae et tragoediae communis est catharsis, illico ceteras quoque musicorum utilitates ad tragoediam transfert in eodemque errore versatus tragoedias postulat inservientes τῇ ἀναπαύσει, quin abjudicat omnem vim a tragoedia, quae illam ἀνάπαυσιν non praebeat. Idem peccat in laude Euripidi tribuenda; quamquam enim vel in corporis purgatione allevationem quandam sentiri, voluptatemque utique conjunctam esse cum catharsi musica contendit atque adeo Goethius, quem eximia laude ornat, tranquillitatem si minus in spectatoribus at certe in fabulae personis praestare vult poetas, Euripidem, cujus tragoedias nihil tale efficere pulcherrime explicat vir doctus, maxime cum tragicum tum catharticum nominare haudquaquam in religionem trahit. Adde quod ipsa definitio perturbationum inter se colligatarum excitandi modum postulat; misericordia enim tollitur cum metus finem modumque transiens gravioribus quasi ictibus nos concutit stupidosque reddit ita ut (Rhet. II, 8, 1386 a. 22 τὸ γὰρ δεινὸν ἕτερον τοῦ ἐλεεινοῦ καὶ ἐκκρουστικὸν τοῦ ἐλέου) nihil jam sentiamus, in metum autem non perducimur nisi misericordiae poeta modum constituit, hoc est nisi vitia et mala in eadem sunt ratione, qua neglecta numen divinum ob injuriam homini illatam vituperare et nostram ipsorum vitam contemplantes non in metu sed in formidine *) nos versari necesse est. Id caveant poetae, ne opera frustra consumatur, nam neque opprimere affectus neque misericordiores timidioresque quam aequum est in posterum nos reddere vult tragoedia; rectum tantum sive medium quendam miserendi metuendique modum tenere nos docet. Itaque Lessingii sententiae, quam in epistula mense Novembri anni 1756 ad Nicolaium missa exposuit „tragoediam commiserendi facultati augendae inservire debere, nam misericordissimnm quemque optimum esse“ non accedemus, quoniam omnes illa respicit (Pol. VIII. 1342 a. 14 καὶ πᾶσι γίγνεσθαί τινα κάθαρσιν), etiam eos qui ad misericordiam ac metum proclives his duobus affectibus tamquam morbo laborant **). Hoc alterum vero unum tragoediae

*) cf. Cic. Tusc. IV. 8. 19.

**) Quibus de causis diversae aetates misericordes sint, confer quae scite annotata sunt Rhet. II 1339 a. 19 sq.

esse propositum opinatur Bernaysius vocabuli παθημάτων potestate nisus, quod cum non affectus celeriter abeuntes sed animi affectiones constantes significet, his autem non omnes homines obnoxii sint, non in omnibus auditoribus valere posse tragoediam concludit. Sed facile refellitur. Primum utramque significationem et affectus et affectionis vocabulum „πάθημα“ habere, a Spengelio multis exemplis demonstratum est, deinde cum Aristotele ipso — πᾶσι γίγνεσθαι κάθαρσιν — dissentit Bernaysius. Tum ipsius artis naturam neglegit utpote quae quod commune sit expetat ideoque omnes complectatur. Denique hoc non praetereundum esse existimo, quanta praeceptorum copia Stagirites caverit, ne vel unus sive de spectatoribus sive de auditoribus sive de lectoribus artificii vim a se avertere possit; qua de re infra disseretur refutata antea Reinkensii sententia *), contra quam magna ex parte jam argumenta modo contra Bernaysium allata pugnant. Concedendum quidem est, affectuum sollicitationi catharsis nomen non imponi posse et concedet unusquisque, qui catharsi praecedere perturbationum concitationem necesse esse intellexerit; qui vero concesserit, has duas non easdem numerandas esse, alteram subsequi alteram, si hominum naturam communem perspectam habeat, omnium affectus sollicitari sollicitatosque purgari posse concedere debebit, omnium, inquam, etiam, eorum qui ad id temporis justum affectuum modum servaverint. Non equidem repugnem, cum vir doctus catharsim corporalem ad aegrotos tantum referendam esse arbitretur, at catharsim aestheticam omnes complecti, cum in vitiosa tum in recta affectuum ratione versantes, non dubito quin Aristoteles ipse jubeat. Apponere sufficiet locos ad rem dijudicandam maxime idoneos **). Jamqui verba „πάσαις, τοὺς δ᾽ ἄλλους, πᾶσι“ non eo consilio non videt, ne ipsius sententiae officiant, is catharsim aestheticam ad omnes pertinere non poterit non concedere, prae-

---

*) p. 150. „Eine Erweiterung des Begriffes Katharsis, welche die medicinische Metapher überschreitet, ja ins Gegentheil, in Behandlung der Gesunden umschlägt, muss bestritten werden (cf. Phil. XXI. 528).

**) Pol. VIII. 1342 a. 6. — 1342 a. 12.

sertim cum ad certamina musica, unde omnes voluptatem percipere constat, imprimis modos catharticos artis musicae studiosis commendari animadverterit (cf. Pol. VIII. 1342 a. 17).

Quorum argumentorum gravitatem etiam Reinkensium in angustias compulisse inde apparet (p. 156), quod verba: „*ὃ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει κ. τ. λ.* Pol. 1342 a. 5," quo loco legantur, inde removenda esse opinatur. Sed nihil habet quo sententiam fulcire possit neque quidquam excogitare poterit, cum in paragraphis 4, 5, 6, singula enuntiata ita se excipiant tamque arctissime inter se conjuncta sint, ut neque addi neque ejici quidquam posse arbitremur. Accedit quod Reinkensium et Bernaysium praeteriisse videtur, quam ob causam commendentur poetis quae dicuntur *ἀναγνώρισις* et *περιπέτεια.* At quid momenti hic habent? permagnum intelleges, modo mecum inspexeris quae leguntur *Π. π.* 11, 1452 a. 22*) et 14, 1454 a. 5;**) quid enim aliud hae definitiones agunt quam ut ostendant, numquam nos tutos esse a malis, tum demum, cum in eo esse nobis videamur ut vehementer optata assequamur, omnia praeter spem cadere miseriarumque tempestates maximas excitari? Num in tali spectaculo, si qui antea rebus secundis quasi muniti contra omnia fortunae tela nihil mali metuerint, securi esse poterunt? Eadem de causa tragoedia fere homines fortunatos summoque genere natos spectandos praebeto, ut facile nobis persuadeatur, calamitates cuivis uni nostrum imminere, cum homines tam bonos et claros ex summa felicitate subito in miserias gravissimas incidisse videamus.

Nulla autem culpa commissa malis opprimentur? Minime vero, hoc enim ut supra dictum est — cf. XIII, 1452, b. 37 *οὐ γὰρ φοβερὸν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο ἀλλὰ μιαρόν* — non misericordiam ac metum, sed iram formidinemque moveret, non justum

---

*) *ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολή.* 30: *ἀναγνώρισις δὲ . . . ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν μεταβολὴ ἢ εἰς φιλίαν ἢ ἔχθραν τῶν πρὸς εὐτυχίαν ἢ δυστυχίαν ὡρισμένων.*

**) *ἡ ἀναγνώρισις ἐκπληκτικόν* (cf. Sus. Ar. p. 79, Anmerk. 101).

sed nefandum duceretur; imo potius grave peccatum eos commisisse necesse est, quod fluxerit ex imprudentia, non improbitate. In tragoedia nihil nisi secundum rationem fit, alterum ex altero nascitur, delictum consequitur calamitas, res ita connexae sunt — 1451 b. 32 — ut uno tantum anulo dempto quasi tota rerum catena deleatur. Proinde in fabularum compositione poetae summum diligentiam collocanto,*) omnia removento, quae non ipsa rerum necessitudo efflagitet, historicorumque rationem evitantes res varias componentium, utcunque locis temporibusque inter se conjunctae sunt, nihil aliud quam quod necessitate eveniat, quod non fieri non possit, quod hoc initium, hunc exitum habere oporteat, spectandum praebento, et, quae revera evenerunt casu, in rerum continuatione talem accipiunto locum ut neque a praecedentibus neque a sequentibus separari posse, quin ratione ipsa ibi collocata esse videantur.

Atqui jam quis est qui rationem, quam mente divina ornati poetae in tragoediis, veritatis imaginibus, complecti student, totum terrarum orbem regere jubeat, cui rationem tribuamus perfectam et absolutam? Nonne Deus est, qui omnia curat necessitudine ac ratione moderentur. Nonne igitur a singulis vitae humanae secundum rationem compositae condicionibus, quae apparent in tragoediis, ad fontem ipsum tendemus, unde oriens absoluta illa ratio omnia permanat? Ecquid majorem atque nobiliorem utilitatem praestare possit, quam ut intellegamus generi humano consulere numen divinum? Et quid aliud significet illud Aristotelis verbum: artem poeticam magis quam historiam studere philosophiae," quam hoc, philosophiae viam ineuntem artem poeticam ad principia utique tendere? Quid vero omnium rerum est principium atque fons nisi ipse Deus? Nonne in causarum serie perscrutanda a prima illa materia (πρώτη ὕλη) gradatim ascendens ipse Stagirites primum εἶδος εἴδους constituit Deum? Ecquae alia causa est, cur sapientissimum quemque summa animi tran-

*) 1450 a. 16. — 23. — 38. — cf. 1451 b. 28. 1453 b. 1. — 14, 1454 b. 1. — 16, 1455 a. 16. — 10, 1452 a. 18.

quillitate frui videamus nisi haec, quod omnia ex necessitate et voluntate Dei constituta ideoque patienter ferenda esse intellegit?

Non hic opus erit admonere, necessitatem non illud fatum esse, quod homines tamquam servos ex libidine modo benigne modo crudeliter tractare nonnulli arbitrantur; necessitatem intellego, quae sapientia Dei eventura providentis constituta sive miseriam sive fortunam impertiendo uniuscujusque saluti optime prospicit. Quodsi qui putent, in tragoediis culpam miseriae non semper respondere, ii cum hoc animadvertant, hominis vitam non per se solam esse considerandam sed quoad conjuncta est cum aliorum sive ejusdem familiae sive populi sive omnino totius generis humani condicionibus, tum meminerint, vitam morte non finiri itaque etiam post mortem justitiae divinae locum esse.*)

A nullo quae dixi in dubium vocabuntur neque vel Bernaysius — p. 182 sq. — iis assentiri in religionem traxit. Num etiam nunc de catharsis tragicae vi, de affectuum purgatione in incerto esse poterimus? Ergo singulis quasi telae filis comprehensis hac ratione tragoediam finem propositum consecuturam esse arbitror:

Spectatores vel tragoediarum lectores, qui vehementiore misericordiae metusque impetu percelli soleant, in fabulis legendis vel spectandis animi perturbationes explent, sed ita eas explere coguntur, ut simul cognoscant, non in miseria versaturum quin antea quidquam idque grave commiserit; cujus rei memores etiam in posterum pro sua quisque indole sive facilius sive difficilius assuescent utrumque affectum non prorsus quidem opprimere, sed tamen cohibere ita ut caveant ne, opinati unumquemque miserum summam perpeti injuriam misericordiaque esse dignissimum continuo humanitatis sensum tamquam januam late aperiant; neu iidem, recte factorum conscientia muniti, fore censeant ut culpa non commissa sibi inferatur calamitas; at qui fortuna secunda aucti parum sibi metuant ideoque minus commiserentur aliorum res adversas, e securitate excitantur tragoediaque admoniti homines vel nobilissimos, potentissimos, optimos

*) cf. Reinkensii verba l. l. p. 337.

ob delictum aliquod neglegentia commissum ex inopinato in maximam miseriam incidisse, abjecta superbia sortem humanam etiam ad se ipsos pertinere nunquam non meminerint. Hac ratione animi affectus moventur, sedantur, purgantur. —

Nondum vero totam rem his verbis absolutam esse existimo siquidem Aristoteles postulat, ut praeter perturbationum sedationem ac purgationem etiam voluptatem quandam ex tragoedia percipiamus. Omnibus, quantum scio, hoc nihil negotii habet, cum catharsi et voluptati eandem vim subjiciant; quod minime probandum esse puto. Ac primum quidem, si hoc voluisset philosophus, non diserte et plane eum additurum fuisse credo verba *μεϑ᾽ ἡδονῆς* (Pol. VIII. 1341 a. 15); tum illorum sententia accepta vel chorum, qui etiam in Sophoclis fabulis non tam actoris quam spectatoris partes suscipit unaque cum spectatoribus numen divinum agnoscens animos affectibus perturbatos ad tranquillitatem revocat, voluptate frui necesse esset. An quisquam hoc contendet? Sed argumentis gravioribus sententiam meam comprobatum iri confido, modo in memoriam redigamus quae leguntur *π. π.* 4. 1448 b. 5. 10. *τό τε γὰρ μιμεῖσϑαι σύμφυτον τοῖς ἀνϑρώποις ἐκ παίδων ἐστὶ . . . καὶ τὸ χαίρειν τοῖς μιμήμασι πάντας . . ., ἃ γὰρ αὐτὰ λυπηρῶς ὁρῶμεν, τούτων τὰς εἰκόνας τὰς μάλιστα ἠκριβωμένας χαίρομεν ϑεωροῦντες.* Imaginibus scilicet vel earum rerum delectamur, quae si essent verae molestiam nobis inferrent; quod igitur conscii nobis sumus *), simulacrum nos conspicere, hoc impedit, quominus in eodem sensu detineamur, quem movet veritas. Neque vero facile fit in tabularum signorumve contemplatione ut nos ipsos amittamus, nam leviter magis oculos quam animos afficiunt; at poetae, qui verbis utuntur in pectora alte descendentibus hominesque in scenam producunt ad veritatem proxime accedentes, tale aliquid efficere poterunt quale fit in rebus veris. Qua de causa modum observanto in hac re carminum auctores, nam qui eum transierit, ut transiisse videtur Euripides, arti non in omnes partes satisfaciet.

*) cf. Sus. Ar. p. 38.

Voluptatem quandam vel in corporis purgatione nos sentire, cum morbo liberati nobis ipsis quasi reddamur, jam supra commemoravi; simili voluptate musica nos afficiunt, quamquam haec minor esse videtur, quia musicae naturam affectus leviter tantum et tamquam inscios deflectentis auditoris voluptatem ad se ipsum redeundi minuere necesse est. Nondum quae dixi tibi sufficiunt gravioraque poscis argumenta? Age sane voluntati tuae morigeretur ipse Aristoteles laudatis quae leguntur *Π. π.* 14, 1453 b. 10. *Οὐ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τραγῳδίας, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν. ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέου καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητὴν κ. τ. λ.* Omnes quod sciam hanc verborum arctissimam conjunctionem „*τὴν ἀπὸ ἐλέου καὶ φόβου διὰ μιμήσεως ἡδονήν*" neglegunt et ad tragoediae definitionem (1449 b 24 *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως κ. τ. λ.*) respicientes verbis interjectis „*διὰ μιμήσεως*" nihil momenti tribuunt. Qua in re peccare mihi videntur, neque e catharsi, sed ex ipsius artis natura voluptatem nasci arbitror, quippe qui in rebus fictis, non veris nos versari conscii nobis simus. Rem ita se habere cum illa verborum conjunctio arctissima comprobat, tum hoc, quod in illa tragoediae definitione verbum „*ἡδονή*" locum non occupavit, nimirum quod verbo „*μίμησις*" simul etiam voluptatis notio semper ei inhaerens satis significata erat. Quod qui perpenderit atque conjunxerit cum iis quae disserui pag. 36 sententiae meae calculum adjecturum esse confido.

Haec sunt quibus complicatam catharsis notionem, qualis ab Aristotele in arte musica et poetica constituta fuerit, evolvisse mihi videar. Incorrupto judicio cognitionem institui; argumenta ab illo ipso petita diligenterque collecta ita composui, ut rerum inter se colligandarum continuatio perspicua fieri potuerit; itaque spes me tenet, lectorem benevolum ab hoc libello assensum non omnino esse retenturum.